

est fabulis, donec lupus intervenires. *Levi.*  
*Huc igitur adsum, ut perficiam fabulam: volo*  
*vos omnes cras apud me prandere prandium*  
*Theologicum. Ge.* \* *Scythicum promittis con-*  
*vivium. Lev.* \* *Aὐτὸ δάζει. Nisi fatebimini,*  
*hoc fuisse vobis fabuloso convivio jucundius,*  
*non recuso dare pœnas in cœna. Nihil jucun-*  
*dius, quam cum serio tractantur nugæ.*

*Scythicum*] *Id est, triste. Aὐτὸ δείξει*] *Id est,*  
*ipsa res indicabit. Vide proverbium.*

### Puerpera.

#### EUTRAPELUS, FABULLA.

*Eu.* **S**Alva sit optima Fabulla. *Fa.* Salve mul-  
 tum, Eutrapele. Sed quid tandem no-  
 væ rei accidit, quod nunc salutator insolens  
 adveneris, quem hoc triennio toto nemo no-  
 strûm vidit? *Eu.* Dicam: forte præteriens has  
 ædes, vidi \* cornicem obvinctam candido  
 linteo: demirabar quid esset cauſſæ. *Fa.* Adeo-  
 ne hospes es in hac regione, ut ignores, hoc es-  
 se symbolum puerperii in ædibus? *Eu.* Eho,  
 an non prodigium est videre cornicem albam?  
 Sed extra jocum; sciebam maxime: verum  
 suspicari non potui, te puellā vix dum ingreſ-  
 ſam decimum sextum annum, tam mature di-  
 dicisse difficultissimam artem gignendi liberos,  
 quam ægre discunt quædā ante annos triginta.  
*Fa.* Ut tu semper es quod diceris, Eutrapele?  
*Eu.* Ut nunquam deest Fabullæ fabula! Demi-  
 ranti igitur commodum occurrit Polygamus.

*Fa.*

**Cornicem**] *Circulum ferreum aut aliquid hujus loco*  
*additum ostiis, quo pulsatur. Graci Kopávlu vocant,*  
*vel ob figuram, vel ob garrulitatem.*